



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis discernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...


Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Capvt VI. De Censuris Ecclesiasticis & Irregularitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**



## CAPVT VI.

## De censuris Ecclesiasticis &amp; irregularitate.

**C**ENSURÆ nomen ex veteri Romanorum iure desumptum, ab Ecclesia usurpatum est ad significandam pœnam spiritualem, per quam homo baptizatus delinquens ac contumax, auctoritate ipsius Ecclesiæ bonorum quorundam spiritualium usu privatur, ut docet & fusè explicat Suares, disp. 1. de censuris sect. 1. & plenius ex infra dicendis intelligitur.

## SECTIO I.

## De censuris in communi.

**C**VM plurima sint & varia, quæ de censuris in genere à Theologis disputantur, nos pro ratione instituti nostri seligemus ea, quæ cognitu magis necessaria, aut utilia visa sunt, & paragraphis seq. breviter explicabimus.

## §. 1.

## De quibus personis resideat ferendarum censurarum potestas.

**D**ICENDVM est, potestatem ordinariam ferendi censuras residere in prælatis Ecclesiæ, iurisdictionem in foro exteriori non impeditam habentibus; ac proinde in summo Pontifice, respectu omnium Christianorum; & præ



& præterea in Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, respectu sibi subditorum, ut docet S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. a. 2. & satis constat ex perpetuo usu totius Ecclesiæ.

Eandem etiam potestatem ferendi censuras obtinet Legatus à latere summi Pontificis, ut habetur ex cap. *Legatus*, de officio Legati in 6. Item Vicarius Papæ aut Episcopi, ut Theologi communiter docent, & habetur ex cap. *Licet*, de officio vicarii. Docet etiam Suarez (quem citat & sequitur Bona. q. 1. de cens. pu. 2.) eandem potestatem habere Capitulum sede vacante, & ipsius Capituli vicarium. Item Abbates, Provinciales, & alios regularium præpositos ac superiores habentes potestatem in foro exteriori respectu sibi subditorum.

Hæc autem potestas ferendi censuras ab Ordinariis delegati potest cuilibet Clerico privilegiis Clericalibus gaudenti, ut habetur ex cap. ult. de officio Ordinarii; non verò laico, quamvis religioso; nec etiam Clerico conjugato, ut ex communi Theologorum consensu docet Bonac. sup. ac multò minùs fœminæ, ut habetur ex cap. *Dilecta* de majoritate & obedientia, & fusiùs explicat & probat Suar. disp. de cens. sect. 3.

## §. II.

*In quasnam personas censura ferri possint.*

**D**ICENDVM est ferri posse in omnes & quascunque personas baptizadas, rationis & doli capaces, in statu viæ existentes, illiusque subditas à quo censura feruntur.

Dicitur 1. personas illas, quæ censuris ferri possunt, debere esse baptizadas, aliàs Ecclesia in eas nullam obtinet jurisdictionem, juxta illud Apostoli 1. Cor. 5. *Quid mihi de vobis, qui foris sunt iudicare*, quod etiam constat ex cap. *Gaudemus*, de divortiiis, & cap. *Judais*, dist. 4<sup>a</sup>.

Dicitur 2. (rationis & doli capaces) censura enim est pec-



peccati poena; peccatum verò præsupponit peccatorem esse rationis & doli capacem; unde inferi Suar. qu. 1. de cens. p. 4. & post illum Bonac. etiam impuberes, si doli capaces sint, posse censuris plecti; quamvis id fieri non soleat, nisi postquam pubertatis annos attigerint.

Dicitur 3. (in statu viæ existentes) *Non enim* (ut rectè observat Gratianus causa 24. q. 2.) *Dominus dixit: quacumque ligaveritis sub terra; sed super terram: ostendens scilicet, quod viventes pro varietate meritum suorum solvere possimus vel ligare; de mortuis autem sententiam ferre non possumus, sed (ut ait S. Leo Ep. 90. ad Rusticum.) horum causa Dei iudicio reservanda est.* Potest quidem Ecclesia, vel Prælatus declarare mortuum aliquem, dum viveret, censuras incurrisse easque adversus eum executioni mandare, v.g. privare illum Ecclesiastica sepultura, vetare, ne pro illo suffragia, aut sacrificia offerantur; & e contra, si aliquis excommunicatus moriens contritionis & poenitentiae signa exhibuit, à poena illius excommunicationis illum eximere, non quidem absolvendo, sed permittendo aliis, ut eum in loco sacro sepeliant, ac pro illo suffragia & sacrificia offerant.

Dicitur denique (subditas ejus à quo censuræ feruntur) sicut enim nullus potest legibus suis, aut decretis illum obligare qui non est sibi subditus; sic nec illum ad id poenis cogere, vel reuidentem censuris punire.

## §. III.

*Ob quam causam censura infligantur.*

**D**ICENDVM est, censuras infligi ob peccatum mortale exterius, opere completum cum contumacia.

Dicitur 1. (ob peccatum) quia poena, ut iuste infligatur, supponit culpam, cum innocens iuste punire non possit: unde (ut ex communi Theologorum consensu docet Bonac. sup. pu. 3.) ubi non est peccatum, ibi nullus est censura locus.

Dici-



Dicitur 2. ( mortale ) quod intelligi debet de censuris  
 gravioribus, puta excommunicatione maiori, suspensione  
 ab ordine, interdicto generali, &c. eiusmodi enim pœnz  
 cum sint gravissimæ, non nisi ob culpam gravem iuste in-  
 fligi possunt, ut docent Nav. Suar. & plures alii apud Bo-  
 nac. sup. pu. 3. & habetur ex cap. *Nemo Episcoporum.* & cap.  
*Nullus Sacerdotum* 11. qu. 3. & ex Conc. Trid. sess. 25 c. 3. de  
 reform. Unde sequitur ( ut rectè observat Laym. c. 5. de cen-  
 suris in communi ) nullam incurri censuram gravio-  
 rem, quodcumq; ob ignorantiam aliquam, aut inadverten-  
 tiam, seu imperfectionem actus peccatum commissum  
 non censetur esse mortale.

Quod autem spectat ad censuras minùs graves, ut ex-  
 communicationem minorem, suspensionem levem, pu-  
 levioribus interdum, & venialibus peccatis infligi pos-  
 sunt, ut ex Suar. Tol. & aliis docet idem Bonac. sup.

Dicitur 3. ( exterius ) quia ob peccatum merè internum  
 cœnura infligi non potest, cum Ecclesia de rebus occultis  
 & merè internis non iudicet, ut docent Sor. Sylv. Suar. &  
 plures alii apud Bonac. supra & habetur ex cap. *Erubescite*  
 & cap. *sicut tuis*, de simonia.

Dicitur 4. ( opere completum ) ad incurrendam enim  
 censuram requiritur effectus completus, quem legislator  
 intendit censura punire, v. g. si quis ex voluntate occiden-  
 di Sacerdotem sagittam in eum proiciat, sed illum non  
 attingat; tunc enim, quamvis graviter peccaverit, non in-  
 cidit tamen in excommunicationem latam contra pec-  
 cutores Clericorum.

Dicitur 5. ( cum contumacia ) cum enim censura sit *pena*  
*medicinalis*, ut dicitur ca. 1. de sententia excom. non infli-  
 gitur per modum ultionis & vindictæ; sed exhibetur per  
 modum medicinæ ad hominem à peccato avertendum;  
 & ex consequenti præsupponit semper admonitionem a-  
 liquam præcedentem, quæ sine contumacia respici non  
 potest. Et de excommunicatione quidem consentiunt om-  
 nes, ut videre est apud Bonac. sup. de reliquis verò cen-  
 suris idem etiam docet Suar. Agid. & alii apud eundem  
 Laym. c. 5. de cens. & constat ex cit. c. 1. de sententia excom.



*Qua forma in ferendis censuris observanda sit.*

**F**ORMA in censuris ferendis observanda secundum communem Ecclesie praxim duo requirit. Primum est, ut admonitio aliqua precedat, ut habetur ex cap. *Reprehensibilis*, de appellationibus, & ex cap. *statutum* de sent. excomm. in 6. Ratio est, quia censura fertur tantum in contumaces contra Ecclesiam vel superiorem, ut supra dictum est. nisi autem admonitio aliqua precedat, non potest quis censeri contumax. Hæc est autem differentia inter censuras, quæ infliguntur pro præteritis culpis eluendis, & illas quæ infliguntur pro futuris cavendis; quod hæc non requirant admonitionem distinctam ab ipsa lege vel prohibitione, quæ eo ipso quo promulgatur vel notificatur, sufficientem admonitionem continet censetur; illæ verò expressam & distinctam admonitionem requirant, ut docent Suar. Filiuc. & alii apud Bonac. sup. pu. 9.

Triples autem regulariter admonitio præmitti debet tribus distinctis dierum aliquorum intervallis, ut habetur ex cap. *omni; decima* 16. q. 7. & cap. *Constitutionem* de sententia excomm. in 6. nisi necessitas aliqua aut rationabilis causa trinam illam admonitionem, aut plurium dierum intervallum impediatur, ut habetur ex cit. cap. de sententia excomm.

Secundum est, ut censura feratur in scripto, quo exprimat species censuræ quæ infligitur, nomen illius cui infligitur, & causa ob quam infligitur; aliàs ferens censuram solo verbo sine scriptura mortaliter peccat, (ut ex communi Doctorum consensu docet Bonac. sup. 1.) incurritq; suspensionem ab ingressu Ecclesie per mensem; quam etiam suspensionem incurrit is, qui parti petenti sententiæ latæ exemplar non concedit intra mensem, ut habetur ex cap. *Cum medicinalis* de sententia excomm. in 6. Eximuntur tamen ab hac suspensionis poenæ Episcopi ferentes censuram.



cenfuram sine scripto; non enim in citato capite fit mentio Episcoporum: quando autem in censuris suspensionis, vel interdicti non fit expressa mentio Episcoporum, certum est Episcopos iis non ligari, ut habetur ex cap. *Periculosum* de sententia excomm. Et munitur etiam ab hac poena quicumque superiores ferentes cenfuram sine scripto, quando id solummodo faciunt ob urgentem aliquam & iustam causam, ut observat idem Bonac. qui etiam rectè monet, quòd, quamvis nulla huiusmodi causa urgente illicitum sit censuram aliquam ferre sine scripto, hæc tamen censura valida,

de reb. ca.  
c. 1. §. v.

*Quanam causa ab incurrendis censuris excuset.*

QUATVOR præcipuè à Theologis numerantur. Prima est ignorantia invincibilis, seu inculpabilis tum juris, tum facti. At; in primis communis est Doctorum sententia ignorantiam inculpabilem juris excusare ab incurrenda quavis censura; cum quis scilicet inculpabiliter ignorat, prohibitionem aliquam, aut esse legem latam à jure, vel ab homine. Ratio est quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia; sed ubi adest ignorantia ejusmodi inculpabilis, nulla committitur contumacia; ergo nec ulla censura incurritur. Ita Sylv. Nav. Henriq. Filiucius, Suares, & plures alii apud Bonacinam quæst. 2. pu. 1. & habetur ex cap. 2. de constit. in 6. unde colligitur illum, qui scit quidem delictum aliquod esse divina lege vetitum, sed nescit illud esse quoque ab Ecclesia speciali lege prohibitum; si delictum illud committat, quamvis alioquin graviter peccet, nullam tamen censuram incurtere, ut Doctores supra citati docent.

Quòd autem etiam ignorantia facti seu qualitatis facti excuset à censuris incurrendis, afferunt iidem Doctores & plures alii apud eundem Bonacinam: & constat tum ex c.



Si vero 2. de sent. excomm. tum etiam ex eo quòd eiusmodi facti vel qualitatis facti ignorantia interveniente, nulla quoque adfit adversus Ecclesiam contumacia; unde patet eum, qui occidit sacerdotem putans se occidere, hominem laicum, quamvis graviter peccet, non tamen incurrere excomm.

Addit idem Bonac. ex Suar. Nav. & aliis quos citat, etiã ignorantiam pœnæ, id est censuræ, excusare ab ipsa censura incurrenda: v.g. illum, qui sciret quidem Sacerdotis percussionem esse divina & Ecclesiastica lege prohibitam, sed ignoraret sub excommunicationis pœna prohibitam esse; si Sacerdotem percutiat, quamvis peccet, nullam tamen incurrere excommunicationem.

Secunda causa excusans ab incurrendis censuris est appellatio iusta & debite facta: quæ tamen causa locum habet solummodo in censuris illis, quæ sub conditione feruntur; ut quando iudex vel Prælatus inferior præcipit alicui sub interminatione censuræ, ut aliquid faciat vel omittat: in eiusmodi enim causa, si appellatio ad Superiorem fiat ante conditionis illius positionem, excusabit ab incurrenda censura; non vero si postquam conditio illa posita fuerit. Ita Sylv. Henric. Nav. & plures alii apud Bonac. supra: e.g. præcipitur alicui sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ut compareat coram iudice Ecclesiastico intra tres dies, si ab ea sententia ex causa aliqua rationabili appellet ante tres illos dies expletos, appellatio impedit quo minus incurrat excommunicationem; nõ impedit autem, si post tres illos dies appellationem differat.

Tertia causa est impotètia id faciendi, quod sub censura alicuius interminatione faciendum præcipitur; sive impotentia illa sit Physica, sive Moralis tantum; quando scilicet aliquis vel nullo modo, vel non sine gravi aliquo incommodo id facere non potest: quod similiter dici debet, quando quis ob metum aliquem gravem & cadentem in constantem virum eiusmodi præcepto non obtemperat, quia (ut Nav. Suar. Filiuc. & alii apud Bonac. docent qu. 2. pu. 3.) Ecclesiæ præcepta benigne sunt accipienda; nec credibilis

est



est illam cum tanto rigore obligare velle. proindeq; cum huiusmodi impotentia vel metus à contumacia excusat etiam à quavis censura incurrenda.

Quarta deniq; causa est voluntas & intentio illius, in cuius favorem lata est censura aliqua: v.g. si quis creditor ab Ecclesiastico iudice obtineat sententiam excommunicationis adversus debitores suos, nisi intra sex menses restituant; prioroget verò postea in scio illo iudice, terminum illum usq; ad annum; debitores illi non nisi post annum elapsum incurrent excommunicationem, ut supra citati Doctores asserunt apud eundem Bonac. sup.

## §. VI.

*Quis absolvere possit à censura, & qua requirantur dispositiones in eo qui absolvitur.*

**A**CENSURIS, quæ nemini reservantur, absolvere potest quilibet potestatem habens absolvendi à peccatis mortalibus, ut docent Nav. Sot. Suar. & alii apud Bonac. qu. 3. pu. 1. à censuris verò reservatis absolvere potest, qui ea tulit, vel ejus Superior, aut Delegatus, ut ex communi Doctorum consensu docet idem Bonacina; & habetur ex cap. *Per tua*, & ex cap. *Sacro*, de sentent. excomm. I. mō Episcopi à quibusvis delictis annexam censuram Pape reservatam habentibus absolvere possunt, dummodo delicta sint occulta; id est non sint publica, vel notoria, aut famosa, nec deducta ad forum contentiosum, ut ex communi Doctorum sententia docet idem Bonac. Sup. In articulo verò mortis potest quilibet Sacerdos, etiam suspensus & degradatus, absolvere à quibuslibet censuris, ut in tract. de Sacram. ca. 5. dictum est: cum onere tamen, ut qui sic absolutus est, si periculum evadat, superiorem adeat executurus id quod sibi ab eo præscribetur, ut habetur ex cap. *Eos*, de sent. excomm. in 6.

Ad absolutionem autem à censuris ex parte absolventis nulla certa verborum forma necessaria est, sed sufficiunt quæ-



quæcunque verba ore prolata, vel scriptis expressa, quibus ipsa absolutio exprimitur, ut docent Suar. Filiuc, & alii apud Bonac. supra.

Ex parte verò illius qui absolvitur, duo præsertim requiruntur; scilicet ipsius absolutionis petitio, & debita satisfactio, si censura ob illatum alicui damnum illata sit, aut saltem sufficiens cautio de illa præstanda: & præterea si censura infligta sit ob aliquod grave delictum, debet absolvendus sub juramento polliceri, se non amplius tale crimen patraturum, seq; in posterum mandatis Ecclesiæ obtemperaturum, ut docet idem Bonac. pu ult.

In absolutione verò solenni à censuris debent ea servari; quæ in Rituali Romano aut aliis cujusq; Diocesis propriis præscribuntur.

## §. VII.

*Quotuplex sit censura Ecclesiastica.*

**M**ULTIPLEX est censura: alia siquidem est censura à *jure*, quæ lege aliqua aut canone fertur; & tam diu viget, quam diu ipsa lex, aut Canon vim suam obtinet: alia *ab homine*, quæ à Iudice, aut Superiore fertur, non per modum legis, sed per modum sententiæ judicialis, seu præcepti temporalis & transitorii: & hæc censura illo mortuo cessat.

Alia item est censura *lata sententiâ*, quæ ipso facto incurritur absq; alia iudicis sententiâ: alia *comminatoria* seu *ferenda sententiâ*, quæ non incurritur ante sententiâ iudicis, Ex terminis autem quibus censura fertur dignosci debet, an sit solummodo comminatoria, an verò ipso facto incurrat.

Alia præterea est censura *iusta*, quæ prævisis tribus mitionibus, & servato juris ordine, justamq; ob causam fertur ab eo, qui legitimam habet authoritatē, Alia *iniusta*, in qua deest aliquid ex supra dictis; & hæc rursus subdividitur in *validam*, & *invalidam*. *Censura iniusta, & nihilominus valida*



valida ea est: quæ fertur ab eo, qui habet auctoritatem legitimam, ob causam sufficientem, aliqua monitione præcedente; quamvis aliæ conditiones suprædictæ desint. Censura vero iniusta & inualida illa est, in qua deest una ex his tribus conditionibus: nimirum quæ fertur ab eo, qui legitimam non habet auctoritatem, vel absque sufficienti causa, aut nulla monitione præmissa.

Denique censura in tres præcipuas species diuiditur, scilicet excommunicationem, suspensionem; & interdictum: de quibus seq. sectione agendum.

## SECTIO I.

### *De censuris in particulari*

**Q**UÆ de ipsis censuris in communi dicta sunt, ea de unaquaque illarum in particulari intelligi debent: cum in iis simili modo conueniant, & par sit illarum ratio, ut habetur ex cap. 1. de sentent. excomm. in 6. quare hic solum subiungemus ea, quæ cuiusque illarum propria sunt.

§ 1.

### *De Excommunicatione.*

**E**XCOMMUNICATIO duplex est, alia maior, alia minor, Excommunicatio maior est censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus priuatur communionem fidelium, id est participationem aliquorum bonorum, quæ sunt fidelium communia. Non dicitur priuare participationem omnium bonorum, sed tantum aliquorum: non enim priuat e. c. gratia, sed priuationem illius per peccatum & contumaciam præsupponit; imò fieri posset, ut quis perfectæ contritionis actu gratiam recuperasset, priusquam ab excommunicatione absolueretur. Similiter non priuat bonis spiritalibus particularibus, v. g. effectu orationum,



nam quas aliquis priuatim pro excommunicato offert; sed tantum communibus quæ (ut docet Bonac. disp. a. de ex. q. 2. pu. i. & seq. & alij communiter) sex præsertim numerantur.

Primò enim priuat administratione, & receptione Sacramentorum.

Secundò participatione suffragiorum communium Ecclesiæ, quæ scilicet à Clericis quatenus Ecclesiæ Ministris, pro fidelibus offeruntur.

Tertiò iure audiendi Missam, & assistendi officijs diuinis publicis: tenetur tamen Clericus in sacris constitutus, aut Beneficiatus, quamuis excommunicatus, priuatim solus officium recitare; sed in illa recitatione abstinere debet à illis verbis: *Dominus vobiscum.* ut docent Nau. & alij apud Bonac. supra.

Quartò electione passiuæ ad quæuis beneficia & dignitates Ecclesiasticas.

Quintò sepultura Ecclesiastica.

Sextò communicatione omni humana & ciuili cum alijs fidelibus: quod Doctores hoc versiculo exprimunt:

*Os, orare, vale, communicatio, mensa negatur.*

*Os,* significat allocutionem, confabulationem, siue fiat per litteras, nutus, aut alia signa: Item quæcunque alia signa exteriora amicitia, ut oscula, amplexus &c.

*Orare,* significat simul cum excommunicato orationem facere, diuinum officium recitare, &c.

*Vale,* id est excommunicatum salutare, aut honorem aliquem verbis aut gestis, illis exhibere.

*Communicatio,* id est quæuis societas cum excommunicato in habitatione, vel exercitio, aut contractu.

*Mensa,* id est simul cum illo & in eadem mensa comedere.

Quæ communicationes cum excommunicato prohibentur, in quantum per illas unio & amicitia mutua inter fideles fovetur.

Qui autem cum excommunicato communicant, peccant; graviter quidē ac mortaliter, si hæc comunicatio fiat in diuinis; venialiter verò, si in alijs casibus; & qui cū illis

com-



communicant incurunt minorem excommunicationem, qua priuat tantummodo susceptione Sacramentorum, & electione passiva ad beneficia aut dignitates Ecclesiasticas, ut habetur ex cap. *si celebrat* de Cleric. excomm. ministr.

Sunt tamen hic duo observanda, primum est id quod habetur in Bulla Martini V. qua incipit: *Ad evitanda*, & confirmat fuit à Leo. X. in Conc. Lateran. referturque à Nau. cap. 27. nu. 35. qua quidem summus Pontifex ad evitanda animarum pericula statuit, ut nemo deinceps quem quam ratione alicuius sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ à iure vel ab homine generaliter promulgatam Sacramentorum administratione, receptione, aut alijs quibuscunque rebus diuinis vel externis vitare, aut interdicitum observare teneatur, nisi sententiæ vel censuræ eiusmodi contra certam personam, Collegium, Ecclesiam, &c. specialiter à Iudice publicata vel denunciata fuerit; eo excepto, qui ob sacrilegam manuum iniectionem in Clericum excommunicationem canonis notorie incurrit, ut factum eius nulla tergiuersatione celari, & nullo iuris suffragio excusari possit; nam ab eiusmodi etiam non denunciari communione abstinendum est. postea verò subiungitur *per hæc autem non intendimus ipsos excommunicatos, suspensos, interdictos in aliquo subleuare, vel quomodo libet eis suffragari*; id est (ut explicat Laym. part. cap. 4. de ex com.) quod, quamuis in commodum aliorum hac pontificis indulgentia uti possint excommunicati illi, qui non sunt denunciati, aut notorii Clericorum percussores: quando tamen agitur de ipsorum excommunicatorum commodo, eadem hæc indulgentia ipsis suffragari minimè possit.

Secundum est, ratione necessitatis vel utilitatis vel pietatis licitam interdum esse communicationem aliquam cum excommunicato etiam denunciato, vel notorio Clericorum percussore: unde Doctores ex cap. *Quoniam multos* II. quæst. 3. causas aliquas colligunt, ob quas eiusmodi communicatio licitè haberi potest, quas hoc versiculo communiter exprimunt

*Vile, seu humile, res ignorata, necesse,*

*Vile,*



*Vtile*, significat utilitatem spiritualem excommunicati, aut illius qui cum eo communicat.

*Lex*, obligationem illi reddendi, quod ei iuste debetur; ut si debitor creditori mutuum restituat; si uxor viro debitum conjugale reddat.

*Humile*, designat subjectionem & obsequium, quod filius parenti, servus domino deferre tenetur.

*Resignorata*, iuris aut facti ignorantiam invincibilem seu inculpabilem,

*Necessitas*, necessitatem spiritualem, aut etiam temporalem si sit notabilis. unde licitum est v. g. in gravi necessitate corporali eleemosynam petere & accipere ab excommunicato denunciato.

Quæret aliquis quot sint & quinam casus, in quibus excommunicatio major incurritur: minorem si quidem constat unico solum casu incurri, communicatione scilicet cum excommunicato in casibus supra explicatis. Resp. in duobus generatim casibus incurri. Primo quando fit vel omittitur aliquid, quod à iure prohibitum est, vel præscriptum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Secundo quando iudici Ecclesiastico, vel Prælato aliquid sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ præcipienti, & monitiones aliquas eo sine adhibenti non obtemperatur.

Et primi quidem generis excommunicationes plurimæ & maxime diversæ per totum iuris canonici corpus passim pro variis causis & eventibus latae reperiuntur, quæ à Tol. summa cura collectæ sunt, & apud illum videri possunt li. 1. c. 18. 19. &c. quas proinde hic sigillatim recensere nimis prolixum foret, & instituti nobis propositi limites excederet. Vnù tantum casum, qui frequentius accidere potest, hic breviter adnotabimus, qui habetur cap. *Si quis 17* qu. 4. his verbis *Si quis suadente diabolo in Clericum vel Monachum manus violentas intecerit, anathematis vinculo subiaceat.* Ad cuius canonis intelligentiam observandum est, hac voce: *si quis* comprehendi omnes utriusque sexus, ordinis, ac dignitatis personas, quæ sunt excommunicationis capaces, Nomine

B b

Clericis



Clerici intelligi, non modò illum, qui in sacris vel minoribus ordinibus constitutus est, sed eum etiam, qui prima tonsura initiatus est, dummodo privilegium Clericale non amiserit: amittitur autem illud privilegium primo degradatione, ut liquet ex cap. *Degradatio*, de pœnis in 6. secundo professione artis alicuius indecentis, puta histronis, lenonis, cauponis ut habetur in 6. & in Clem. capite de vita & honesta Clericorum: tertio bigamia, ut constat ex cap. *Nuper* de bigamis. Imò Bannes, Suares, & alii apud Laym. part. 2. c. 5. de ec. docent Clericum non gaudere privilegiis dicti canonis, nisi Clericalem habitum & tonsuram deferre solitus sit; vel beneficium Ecclesiasticum possideret, vel alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviat: addit Laymannus Clericum in sacris constitutum, si dimisso habitu & tonsura se negotiis sæcularibus immisceat, & monitus que ab Episcopo non emendetur, amittere privilegium canonis, ut habetur ex cap. *Audientia*, & c. *Contingit* 2. de sententia excomm. non tamen privilegium fori, unde, si à iudice sæculari in aliquo crimine deprehendatur sine habitu Clerici, postulare potest, ut ad proprium iudicem Ecclesiasticum remittatur; quod illi à iudice sæculari recusari non debet.

Nomine *Monachi* comprehenduntur Religiosi professi, aut conversi, & etiam novitii: intelliguntur etiam Moniales professa, aut conversa, vel novitia, ut habetur cap. *Circa illorum*, & cap. *De Monialibus* de sentent. excomm. & cap. *Religioso* de sentent. excomm. in 6.

Per *manus violentas*, significatur quevis exterior actio iniuriosa seu contumeliosa contra personam Ecclesiasticam vel Religiosam; v. g. eam percutere manu vel pede, eam violenter detinere, aliquid ab ea violenter eripere, eam conspergere aqua; pulvere, aut aliquid simile attentare, & eam notabili aliqua contumelia afficere censetur, ut suffus explicat Bonac. disp. 2. de exc. qu. 4. pu. 1. qui rectè observat, non incurri excommunicationem, si eiusmodi manus iniectio fiat ex aliquo subito & indeliberato animi motu; aut si iniuria vel contumelia illata, viri prudentis iudicio, talis non sit, quæ ad peccatum mortale sufficiat. Cir-



Circa excommunicationes posterioris generis, cum ut plurimum ferantur à iudice Ecclesiastico, non modò contra eos qui crimen aliquod commiserint, ut ijs quorum interest satisfaciant; sed etiam contra illos, qui crimen aliquod commissum esse probè scientes, illud denunciare aut revelare noluerint; difficultas est, utrum in quibusvis casibus teneatur quis iudici denunciationem aut declarationem ejusmodi sub pœna excommunicationis imperanti obtemperare; & nisi fiat, utrum semper excommunicationem incurrat. Pro cujus resolutione dicendum est varios esse casus, in quibus nulla est obligatio ad ejusmodi revelationem seu denunciationem; ac proinde nulla ex omissione illius incurritur excommunicatio: ad casus autem illos dignoscendos sequentes regulæ communiter à Doctoribus proponuntur, ut videre est apud Bonac. sup. qu. 6. pu. 1.

Prima regula est neminem teneri in delictis, quæ in proprium damnum ab aliis commissa sunt, seu in propria causa, denunciare delinquentem; nisi forte publicum & commune bonum id postulet: cum quilibet possit injurias sibi factas condonare.

Secunda regula est, neque etiam obligationem esse denunciandi, quando ex tali denunciatione notabile aliquod damnum aut periculum imminet denuncianti; neque enim lex humana aut præceptum superioris cum tanto incommodo censetur obligare: unde sequitur neque uxorem teneri ad denunciandum crimen mariti, neque maritum uxoris, neque filium patris: quia scilicet damnum mariti vel patris non potest non redundare in uxorem aut filium, vel è contrà: imò Avila & alii Doctores apud eundem que Bonacianam hanc regulam extendunt ad generos, soceros, fratres, & alios intra quartum gradum, & etiam ad servos & domesticos; quando ex tali denunciatione inimicitia rixa, aut alia similia incommoda oriri possunt: excipiuntur tamen crimina illa, quæ vergunt in maximam communitatis aut reipublicæ detrimentum, qualia sunt crimen hæresis, læsæ majestatis, &c. bonum enim commune præferri debet bono particulari.



Tertia regula est neminem obligari ad revelandum id quod novit ex secreto naturali: v. g. quando quis confititur vel auxilium petendi gratia, pro salute animæ, vel corporis, aut pro defensione honoris, bonorum, &c. crimen suum alicui sub secreto manifestavit: qua ratione Medici, Advocati, obstetrices, &c. non tenentur, imò non debent revelare id, quod hac tantum ratione cognoverunt.

Quarta regula est, neminem obligari ad denunciandum crimen illud, quod scit probari non posse: verbi gratia is qui solus vidit furtum aliquod committi, quod nullis aliis testibus aut iudiciis scit probari posse; non tenetur ad illud denunciandum: crimen enim quod probari non potest, ita se habet, ac si nesciretur, ut colligitur ex ea. *Qualiter & quando de accusationibus:* excipitur tamen crimen hæresis, aut aliud vergens in grave crimen civitatis, quod semper denunciandum est, ut docent Bannes, Filiucius, & alii apud eundem Bonacina: quod similiter dicendum est, quando quis novit impedimentum aliquod Matrimonii; unus enim testis sufficit ad impedendum matrimonium, ut habetur cap. *Postea*, de sponsalibus.

Quinta regula est, nullam esse obligationem revelandi ea, quæ verè & cum certitudine aliqua morali non cognoscuntur, ita ut denunciatio illa nullam in foro externo fidem facere possit: qualia sunt quæ audita sunt ex rumore aliquo incerto, vel à personis aliquibus quæ non sunt fide dignæ, vel quando quis audivit à fide digno, sed non meminit quis ille sit, à quo audivit; Item quando audivit ab eo, qui iam denunciavit. Addit idem Bonacina nec etiam obligationem esse revelandi, quando certò vel probabiliter creditur, nullum remedium facta cuiusmodi revelatione adhibendum esse à superiore.

Bst autem hic observandum excommunicationis sententiam, sive à lege sive ab homine nunquam ferri posse contra communitatem aliquam aut Collegium, ut habetur ex cap. *Romana*, de excomm. in 6. Ratio est, quia (ut ibi dicitur) *Exinde contingere posset innoxios huiusmodi sententiâ irriteri;*



irriteri; proindeque, in illos duntaxat de collegio vel communi-  
sate, quos culpabiles esse contigerit, promulgari debere.

§. II.

## De suspensione.

**S**uspensio est censura Ecclesiastica, qua prohibetur  
alicui personæ Ecclesiasticæ usus seu exercitium officij  
vel beneficij Ecclesiastici. Ita excommuni Doctorum  
sententia Nau. cap. 27 nu. 151. Ex qua definitione inteli-  
gitur multiplicem esse suspensionem: alia est enim ab  
officio tantum, siue officium sit ordinis siue iurisdictionis:  
alia à beneficio percipiendis; alia ab officio & beneficio si-  
bus beneficij percipiendis; alia ab officio & beneficio si-  
mul. Rursus alia suspensio est ab officio in totum, quando  
quis priuatur omni usu officij sui: alia est ab officio in  
partem, qualis est illa qua v. g. quis suspenditur ab au-  
diendis confessioinibus, non verò ab alijs Sacramentis ad-  
ministrandis. Alia prætera est suspensio temporalis, quæ  
fertur ad certum tempus, & illo elapso cessat, nec est opus  
absolutione, ut docet Nau. sup. alia quæ nullo termino  
temporis circumscribitur. Alia denique est suspensio pœ-  
nalis alia medicinalis: pœnalis est ea, quæ fertur in puniti-  
onem & vindictam delicti commissi, ut quando quis su-  
spenditur ob peccatum merè præteritū; quæ quidem non  
fertur per modum censuræ, sed per modum pœnz, ut ob-  
seruat Bonac. disp. 3. de susp. pu. i. medicinalis est illa, quæ  
intenditur emendatio delinquentis; & hæc est proprie  
censura.

Qui autem suspensionem violat, exercetque actum à  
quo suspensus est, peccat mortaliter, nisi materiæ leuitas  
excuset: & si suspensionem illam violet per exercitium  
solemne ordinis alicuius maioris à quo suspensus est, in-  
currit irregularitatem, ut docent Suar. Nau. & alii apud  
Bonac. pu. 4. & ex dicendis constabit.

Sunt autem variæ suspensiones in iure: & eas, quæ fre-  
quentius incurri possunt, hic breuiter subiiciemus.

Prima est contra Clericum concubinariū notorium, ut

Bb 3

habet



habetur ex cap. *Quasium* de cohabitatione Clericorum & mulierum: quamuis autem Bonac. supra. pu. 5. & quidam alii Doctores quos citat, existimant suspensionem illam non incurri, nisi post sententiam iudicis praemissa monitione; nihilominus Tol. lib. 1. cap. 47. asserit suspensionem illam ipso facto incurri ante quamcunque sententiam. Certè Conc. Trid. sess. 25. c. 14. graues decernit pœnas contra Clericos concubinos, præterquam enim quòd innouet pœnas antiquis canonibus latas; statuit præterea ut si à Superioribus admoniti non respiciant; priuatione beneficiorum, excommunicatione maiori, suspensione ab ordinibus, inhabilitate ad quacunque benefica, officia, & dignitates, incarceratione, & aliis similibus pœnis plectantur.

Secunda est contra recipientem sacros ordines sub titulo ficto patrimonii vel beneficii, ut colligitur ex Bulla Pii V. quæ incipit *Romanus Pontifex*, ut docent Quaranta, Suar. Filiuc. & alii apud Bonac. sup. quamquam Tol. existimet suspensionem illam non incurri ipso facto, sed arbitrio Episcopi infligendam esse. Tertia est contra eum, qui sacros ordines recepit extra tempora per Ecclesiam constituta, vel ante legitimam ætatem, vel absque litteris dimissoriis, ut habetur in extrauaganti Pii II. quæ incipit: *Cum ex sacrorum*, & in altera extrauaganti Sixti V. quæ incipit: *Sanctum & salutare*, ut docent Suar. Nau. & alii apud Bonac. sup. A qua suspensione (ut ibidem dicit) absolueri potest Episcopus, si delictum occultum sit; id est si non sit notorium, nec de ductum ad forum contentiosum.

Quæres utrum recipiens ordines non seruatis interstitiis incurrat suspensionem aliquam. Resp. non incurere, quamuis peccet is qui interstitia non seruat; nisi id fiat licentiâ Episcopi, aut consuetudine aliqua excusetur.

Quarta est contra suscipientem duos sacros ordines in eodem die, aut duobus diebus continuis & immediatis; qui quidem suspenditur ab executione posterioris, ut habetur ex capite *Litteras* de tempor. ordinationem. similiter suscipiens eodem die maiores ordines cum subdiaconatu.



natu, ut ibidem dicitur. Et hæc suspensio Papæ reservata est, ut docet idem Bonacina: obseruat tamen Laym. tract. 9. cap. 10. de Sacramento Ordinis Cardinalum congregationem super sess. 23. Concilii Trid. cap. 13. declarasse eum, qui & regionis consuetudine uno eodemque die quatuor minores, & subdiaconatum recipit, nullam incurrere suspensionem.

Quinta est contra Clericum qui vacante sede Episcopali, & non arctatus occasione beneficii recepti aut recipiendi, ordinem aliquem sacrum recipit eum dimissoriis capituli, ut in Conc. Trid. sess. 7. c. 10. de refor. ubi prohibetur Capitulis Ecclesiarum, ne sede vacante, infra annum à die vacationis dent litteras dimissorias, nisi urgente aliqua necessitate; aliàs statuit, ut capitulum interdicto Ecclesiastico subiaceat; & sic ordinati ad beneplacitum futuri prælati sint ab executione ordinum ipso iure suspensi.

Sexta est contra Clericum, qui per saltum recipit Ordinem superiorem, antequam receperit inferiorem, v. g. presbyteratum ante Diaconatum, ut habetur cap. unico de Clerico per saltum promoti, & ex Conc. Trid. sess. 23. c. 14. Septima est contra eum, qui recipit Ordines ab Episcopo excommunicato, suspensio, aut interdicto, de denunciato; vel etiam simoniaci per sententiam declarato, ut habetur cap. 1. & 2. de schismat. & cap. *Siquis*, 1. quæst. 1.

Octava est contra eum, qui recipit scienter aliquem ordinem per simoniam, quamuis occultam, ut habetur cap. *per tuas* de simonia.

Nona contra eum, qui excommunicatione aliqua irretitus scienter ordinem recipit, ut habetur cap. *Cum illorum* de sent. excomm.

Decima contra eum, qui furtivè aliquem ordinem recipit; id est qui in seio Episcopo non vocatus, vel approbatus ad Ordines suscipiendos accedit; aut qui alio præmisso, qui suo nomine examinatur, vocatus, deinde proprio nomine Ordines recipit, ut habetur cap. 1. de eo qui furtivè, &c.

Undecima contra Sacerdotem tam sæcularem quàm regu.



regularem conjugentem in matrimonium, vel benedicens lubditos alterius Parochiæ absque licentia Parochi vel Ordinarii, ut habetur in Conc. Trid. sess. 24. cap. de reform.

Duodecima est contra Episcopum conferentem Ordines vel primam Tonsuram extraneo absque dimissionis proprii Episcopi; aut ordinationes facientem in aliena Diocesi absque licentia Ordinarii, ut habetur in Concilio Trident. sess. 23. capit. 8. de reform. aut conferentem ordines vel Tonsuram simoniacè, ut habetur cap. penult. de simonia.

Decima tertia est contra Episcopum aliquid etiam sponte oblatum in visitatione accipientem præter id, quod sibi debetur: qui quidem suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, nisi intra mensem duplum restituat, ut habetur ca. *Exigit*, de censibus in 6. Et hæc suspensio incurritur etiam ab aliis visitatoribus Ecclesiarum aut eorum familiaribus, si occasione visitationis, munera etiam sponte oblata recipiant, nisi intra mensem duplum restituant.

Sunt alia plures juris suspensiones rariùs occurrentes, quæ videri possunt apud Tol. & alios.

Ad suspensionem proximè accedit depositio & degradatio, per quam persona Ecclesiastica ob enorme aliquod crimen removetur in perpetuum ab omni Ordine, jurisdictione & beneficio; ita ut, quamvis non amittat characterem Ordinis, qui indelebilis est, privetur tamen omni & quocumque illius usu sine remissionis spe. Quòd si hæc fiat solis verbis, appellatur verbalis depositio: si præter verba quædam alia ceremoniæ Pontificali præscriptæ adhibeantur, vocatur realis depositio seu degradatio. Hæc est autem inter utramque differentia (ut observat Bonacina disp. 4. de deg. pu. unico) quòd depositio verbalis fieri possit in absentem; degradatio verò solummodo fiat in præsentem: præterea depositio verbalis non tollit privilegium fori; degradatio verò tollit; ita ut degradatus possit à iudice Laico eodem modo plecti, ac si nunquam in Christi Domini Clerum fuisset cooptatus.

Obser-



Observat autem Toletus, quod quamvis depositio verbalis ob crimen aliquod enorme arbitrio iudicis infligi possit; degradatio tamen realis fieri non debet, nisi ob crimina illa quae in iure expressa sunt, quales sunt haereticis manifesta, sodomia, calumnia proprio Episcopo irrogata, & alia similia, quae videri possunt apud Doctores & Canonistas.

## §. III.

## De Interdicto.

**INTERDICTI** nomine intelligitur Ecclesiastica censura, per quam participatio Sacramentorum, divinorum officiorum, & Ecclesiasticae sepulturae prohibetur. Id colligitur ex cap. *Non est nobis de sponsalibus*, ex cap. *Quod in te de poenitentia* & remissione.

Interdictum aliud est locale, aliud personale, aliud mixtum, locale est, quo interdicatur locus, ne in eo divina officia celebrentur, sacramenta administrantur &c. quamvis eiusmodi loci incolae possint alibi divinis officijs assistere, sacramenta recipere, &c. personale est, quo persona aliqua particularis, vel communitas aliqua personarum, puta populus civitatis aut provinciae alicuius interdicatur, ne, ubicunque sit, divinis officijs assistat, sacramenta recipiat, &c. Mixtum verò complectitur utrumque, personale scilicet & locale. Ita Navarrus, Sylvester & alij apud Bonacinam disput. 5. de Interdicto. 1.

Rursus interdictum aliud est generale, aliud particulare. Interdictum particulare est, quo locus aliquis particularis interdicatur, verbi gratia Ecclesia aliqua ob crimen aliquod in ea perpetratum, vel quo personae aliqua afficiuntur, non ut membra civitatis, sed ut personae particulares; verbi gratia quando interdicuntur omnes & singuli, qui tale facinus patrarunt. Interdictum verò generale est, quod fertur in locum aliquem generalem



lem, qui à comunitate aliqua occupatur, v. g. in regnum, diœcesim, ciuitatē; vel in ipsā comunitatē, ut est corpus aliquod politicum; v. g. in populum, alicuius regni, ciuitatis, &c. Et eiusmodi interdictum constringit omnes qui ex illa communitate sunt, etiam innocentes; qui proinde illud seruare tenentur, nisi speciali aliquo priuilegio sint exempti, ut fufius explicat Bonac. sup.

Quamuis autem per interdictum prohibeatur participatio sacramentorum, diuinarum officiorum, & Ecclesiastica sepultura; hæc prohibitio tamen varias recipit exceptiones.

In primis enim sacramenta Baptismi, & Confirmationis solemniter tempore interdicti ministrari possunt, ut habetur cap. *Quoniam*, & cap. *Alma mater* de sentent. excomm. in 6. Sacramentum etiam pœnitentiæ (ut ibidem dicitur) ministrari potest præterquam ijs, qui sunt in causa culpabili, ob quam latum est interdictum, nisi prius satisfecerint, aut satisfaciendi idoneam dederint cautionem, vel saltem se satis facturos esse iurauerint. Sacramentum item Eucharistiæ tempore interdicti non nisi in articulo mortis per modum viatici ministrari potest. sacramentum verò Extremæ unctionis, (secluso extremæ necessitatis casu, quando alia suscipi non possunt) item Ordinis, & Matrimonij tempore interdicti neque ministrari, neque suscipi licitè possunt, ut fufius docet, & varijs autoritatibus probat Bonac. sup. quamuis Nau. cap. 27. num. 179. & alij probabiliter existiment, Matrimonium tempore interdicti licitè contrahi posse.

Quod spectat ad officia diuina, obseruandum est eo nomine significari sacrificium Missæ, Horas Canonicas, quæ publicè cantantur in Ecclesia, benedictiones solennes, & alia omnia, quæ publicè ad cultum diuinum fiunt à personis Ecclesiasticis; quæ omnia prohibita esse censentur; cum hac tamen limitatione (sicut habetur cap. *Alma mater*) ut tempore interdicti quotidie in Ecclesiis specialiter non interdictis celebrentur Missæ, & alia diuina officia, sed iauuis clausis; sine campanarum sono, voce

sub-



Observat autem Toletus, quod quamvis depositio verbalis ob crimen aliquod enorme arbitrio iudicis infligi possit; degradatio tamen realis fieri non debet, nisi ob crimina illa quæ in iure expressa sunt, quales sunt hæresis manifesta, sodomia, calumnia proprio Episcopo irrogata, & alia similia, quæ videri possunt apud Doctores & Canonistas.

## §. III.

## De Interdicto.

**INTERDICTI** nomine intelligitur Ecclesiastica censura, per quam participatio Sacramentorum, divinatorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ prohibetur. Id colligitur ex cap. *Non est nobis de sponsalibus*, ex cap. *Quod in te de poenitentia & remissione*.

Interdictum aliud est locale, aliud personale, aliud mixtum, locale est, quo interdicitur locus, ne in eo divina officia celebrentur, sacramenta administrantur &c., quamvis eiusmodi loci incolæ possint alibi divinis officijs assistere, sacramenta recipere, &c. personale est, quo persona aliqua particularis, vel communitas aliqua personarum, puta populus civitatis aut provincie alicuius interdicitur, ne, ubicunque sit, divinis officijs assistat, sacramenta recipiat, &c. Mixtum verò complectitur utrumque, personale scilicet & locale. Ita Navarrus, Sylvester & alij apud Bonacinam disput. 5. de Interdicto. 1.

Rursus interdictum aliud est generale, aliud particulare. Interdictum particulare est, quo locus aliquis particularis interdicitur, verbi gratia Ecclesia aliqua ob crimen aliquod in ea perpetratum, vel quo personæ aliqua afficiuntur, non ut membra civitatis, sed ut personæ particulares; verbi gratia quando interdiciuntur omnes & singuli, qui tale facinus patrarunt. Interdictum verò generale est, quod fertur in locum aliquem generalem



submissa, exclusis excommunicatis & interdictis; præterquam in festis Natalis Domini, pascha, pentecostes & Assumptionis Beatae Mariæ Virginis; quibus additus fuit à Martino 5. dies festus corporis Christi cum octava, & à Leone X. dies Conceptionis Beatae Mariæ Virginis: in quibus diebus licitum est tempore interdicti generalis Missas, & diuina Officia celebrare publicè & solemniter, ianuis apertis, cum sono campanarum, admissis quoque interdictis, illis etiam quorum causa latum est interdictum; modò isti longè sint ab altari, nec ad oblationes aut communionem admittantur. In Ecclesiis verò specialiter interdictis, in quibus asseruatur Eucharistia, licitum est tantum semel in hebdomeda Missam celebrare ad renouandam Eucharistiam, ut docent Henric. ques, Nauarrus, & alij apud Bonacinam sup.

Quod spectat denique ad privationem sepulturae Ecclesiasticae, obseruat Laymannus Ca. 2. de Interd. quòd, quamuis tempore interdicti localis non possint laici, licet non interdicti, sepeliri in loco interdicto; possunt tamen Clerici, dum modò personaliter interdicti non sint, etiam in loco interdicto sepeliri, in silentio tamen sine campanarum pulsibus; sicut & laici etiam personaliter interdicti, si denunciati non sint, possunt in loco sacro non interdicto sepeliri.

Quæres quibus in casibus incurrat interdictum. Respondetur interdictum locale generale præsertim incurri, quando dominus terræ iniuriosè Episcopum percutit, aut caput, aut id fieri mandat: item quando impedit, ne Legatus, aut Nuntius Apostolicus officium suum exequatur; & in alijs etiam casibus, qui, quoniam rariùs eueniunt & apud Bonacinam sup. aliosque Doctores videri possunt, a nobis prætermittuntur: circa quos casus tamen obseruat Bonacina ex Suare, Filiucio, & alijs, nullam esse obligationem seruandi interdicti ante denuntiationem.

Proximè ad interdictum accedit cessatio à diuinis, quæ quidem non est censura, neque etiam poena, sed simplex



plex prohibitio divinatorum officiorum, & administrationis sacramentorum, & sepulturae Ecclesiasticae, in signum mœroris alicujus gravissimi propter atrocem aliquam injuriam honori divino aut Ecclesiae illatam; & haec cessatio servari debet eodem modo, quò de interdicto supra explicatum est, ut ex probabiliori Theologorum sententia docet Laymannus cap. 6. de cessat. à divinis.

### SECTIO III.

#### De Irregularitate.

**I**RRÉGULARITAS non est censura, sed impedimentum Canonicum susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, vel eorum usum impediens. Ita lex communi Theologorum doctrina Suares, Henriques, Filiucius, & alii apud Bonacinam Disput. 7. de Irregular. quest. I. pu. I.

Ex duplici autem capite contrahitur irregularitas, scilicet vel ex defectu, vel ex delicto: de utraque in seq. paragr. breviter agemus.

§. I.

#### De Irregularitate qua oritur ex defectu.

**D**EFFECTVS ex quibus oritur irregularitas sunt in genere ij. qui aliquam vel indecentiam causant ad Ordines Ecclesiasticos convenienter suscipiendos aut exercendos: & ij. septem praesertim à Doctoribus adnotantur, ut videre est apud Toletum libr. 1. cap. 57. & sequentibus, & alios.

Pria



Primus est defectus animæ, qualis reperitur in iis qui usu rationis carent, qui morbo epileptico laborant, qui sunt lunatici, energumæni, omnino illiterati, neophyti, publicam pœnitentiam agentes; ut fufius explicat Tolet. sup. cap. 64.

Secundus est defectus corporis; quando scilicet aliqua in corpore mutilatio, vel deformitas, aut debilitas inest, quæ reddit hominem inhabilem ad functiones Ordinum exequendas, aut talem efficit ut eas exercere non valeat, nisi cum notabili indecentia & deformitate, quæ maximum illius contemptum & horrorem ingereret: ut si sit membro aliquo mutilatus, mutus, cœcus, aut altero oculo præsertim sinistro carens. Item si sit leprosus, si monstruosum aliquid & valdè deforme præ se ferat, ut pluribus docet idem Tolet, Cap. 63.

Tertius est, defectus natalium; quando quis non ex legitimo matrimonio, sed ex fornicatione, adulterio, aut alio quovis illicito concubitu procreatus est, ut explicat idem Tolet. Cap. 58.

Quartus est defectus bonæ famæ; quando quis contrahit infamiam aliquam; sive ea sit juris, quæ ratione circularores, histriones, mimi, comœdi & alii artes ejusmodi aut officia exercentes, jure tum civili tum Ecclesiastico censentur infames. sive infamia sit facti; ut quando quis crimine aliquo notorio & scandaloso contrahit infamiam, verbi gratia proditione, sacrilegio, & aliis similibus, quæ degradatione, vel depositione digna sunt, ut habetur apud eundem Toletum capit. 62, & 74.

Quintus est defectus ætatis ad suscipiendos Ordines requisita, de quo dictum est supr. tract. de sacra, cap. 7.

Sextus est defectus Sacramenti, qui in bigamia reperitur; quando quis pluries matrimonium contrahit: quamvis enim id licitè fiat, tale nihilominus matrimonium pluries iteratum perfectionem suam omninodâ non habet, quantum ad significationem sacramenti; non enim perfectè signi-



significare potest unionem Christi Domini cum Ecclesia, quando unus vel una cum pluribus successivè contraxit, ut fufius explicat idem Toletus cap. 65. Est autem triplex bigamia, ut docet idem author: vera; quando quis verè & realiter pluries nupsit: interpretativa; quando viduam in matrimonium duxit: & similitudinaria (ut loquuntur Doctores;) quando quis post votum solemne Castitatis matrimonium etiam obtenta dispensatione contrahit.

Septimus denique est defectus lenitatis; quando quis directè, vel indirectè morti vel mutilationi alterius, licet modo aliquo licito & iusto, cooperatur; ut iudices morti reum adjudicantes, accusatores, testes, scribæ, & alii officiales capitalis sententiæ executioni cooperantes; hi enim omnes, quando mors vel mutilatio alterius sequitur, sunt irregulares. Item qui alios consilio, vel suasionibus inducunt ad accusandum, & ad litem criminalem intentandam, si ex ea lite sequatur accusati condemnatio & ejus mors vel mutilatio: non tamen incurrit irregularitatem iudex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio seculari, maximè præmissa protestatione se non intendere ullam pœnam sanguinis, ut docet Bonacina: disput. 7. quæstion. 4. de Irregul. pu. 2. nec etiam inquisitores fidei tradendo aliquos iudici seculari comburendos, etiam si nullam præmittant protestationem; ut constat ex Bulla Pij V. apud eundem Bonacinam: qui etiam rectè docet clericum, qui alium accusat, si non vindictam nec ullam sanguinis pœnam petat, sed tantum satisfactionem sibi justè debitam, non fieri irregularem, etiam si postea sequatur accusati mors vel mutilatio: quod tamen limitari debet, quando quis in causa propria postulat satisfactionem præmissa protestatione se nullam sanguinis pœnâ petere; secus verò, si accuset de injuria illata personis extraneis: tunc enim, quamvis præmittat protestationem, si tamen mors vel mutilatio sequatur, incurrit irregularitatem, ut habetur ex ca. *Prelatis* de homicidio: ubi permittitur quidem Cle-



Clerico conqueri coram iudice de malefactoribus suis, non verò de iis qui aliis nocuerunt: aliqui tamen Doctores, ut Avila, Henriques, & alii apud Bonacinam sup. probabiliter existimant, nullam incurri irregularitatem à Clerico, qui conqueritur coram iudice de illis, qui damnatum domesticis suis, aut aliis valde propinquis, verbi gratia parentibus, fratribus, intulerunt; quia damnatum illud propter unionem, quæ eam eiusmodi personis intercedit, ut proprium censetur.

Qui autem fert testimonium coram iudice contra reum aliquem, si ex eius testificatione mors vel mutilatio sequatur, fit irregularis: unde personæ Ecclesiasticæ nunquam ferre debent testimonium in eiusmodi causis, ut pluribus docet & probat idem Bonac. pu. 3.

Similiter qui pugnat, & occidit in bello iusto, quamvis licite id faciat, fit tamen irregularis, ut habetur ex cap. *Peccatum tua* de homicidio: non tamen fit irregularis ille, qui proficiscens ad bellum iustum alio fine quàm pugnandi, hostem invadentem occidit ad propriam vitam defensionem, neque qui hostem oppugnantem muros urbis in sui suorumque defensionem occidit; aut qui hortatur milites ad fortiter pugnandum hostemque repulsandum. & generaliter quicumque in sui vel aliorum defensionem, vel etiam in propugnationem honoris sui, aut rerum suarum alterum occidit, servato tamen moderamine inculpate tutelæ, non fit irregularis, ut fufius explicat & probat idem Bonacina pu. 6.

§. II.

*De irregularitate, quæ oritur ex delicto.*

QUINQUE sunt præsertim genera delictorum, ob quæ irregularitas contrahitur. Primum est iteratio Baptismi; quædo quis sciënter rebaptizat, aut rebaptizatur; uterque enim contrahit irregularitatem: quod tamen intelli-



intelligendum est de Baptismo absolute reiterato: quoniam sub conditione rebaptizat infantem, de quo dubitaret, an valide baptizatus esset, nec peccaret, nec ullam incurreret irregularitatem, ut docent Nav. Suar. & alii apud Bonac, disp. 7 q. 3. pu. 3.

Secundum est violatio censuræ in susceptione, vel exercitio Ordinum; verbi gratia si quis majori excommunicatione ligatus recipiat Ordines; aut si excommunicatione, suspensione vel interdicto irretitus exercent solemniter aliquos actus maiorum Ordinum; ut si Missam celebret; sacramentaliter absolvat; talis enim fit irregularis; ut habetur ex cap. *Si quis Episcopus*, 11. quæstion. 3. & cap. *Is qui*, de sent. excomm. Observat tamen Bonacina, quod, si quis censura aliqua ligatus exercet actum Ordinis urgente aliqua gravi necessitate, aut ad evitandum aliquod scandalum, non incurreret irregularitatem; sicut nec ille, qui ex ignorantia, aut inadvertentia, vel oblivione inculpabili idem faceret.

Tertium est indignum & indebitum sacrorum ordinum exercitium absque legitima ordinatione: si quis verbi gratia solemniter ministrat in Ordine aliquo sacro, quem non habet; ut si sacerdos exercent actus ordinis Episcopalis; si simplex Clericus Baptismum solemniter administret: in his enim & similibus casibus incurritur irregularitas.

Quartum est crimen hæresis; nam hæretici omnes & apostata à fide, nec non eorum fautores & defensores sunt irregulares, etiamsi sint occulti, ut habetur ex cap. *Qui in aliquod* & cap. *Presbyteros distinct.* 5. & etiam hæreticorum filii usque ad secundam generationem, quamvis ab errore parentum recesserint, & veram fidem amplexi sint, ut habetur ex cap. *Statutum* de hæreticis; si tamen parentes eorum ante mortem Ecclesiæ reconciliati fuerint, tunc, quamvis ipsi parentes etiam post hæresis abiectio- nem maneat irregulares, filii tamen nullam ab iis contrahunt irregularitatem.

Quintum denique est homicidium, & mutilatio: quicun- que



cūque enim alterum iniuste quocunque modo occidit aut mutilat: vel illius iniuste occisioni vel mutilationi cooperatur, iussu, consilio, auxilio, aut alio simili modo, fit irregularis, ut fuse explicat & probat Bonacina sup. p. u. 8, & Toletus lib. 1. cap. 79. & sequent. neque solum incurritur irregularitas ex homicidio voluntario, sed etiam ex casuali, quod accidit præter intentionem occidentis, quando debita diligentia adhibita non fuit, quæ si adhibita fuisset, eiusmodi homicidium sequutum non fuisset: quod & similiter de mutilatione dicendum est: quod quidem variis exemplis explicat Tolet, sup. quæ apud illum videri possunt.

## §. III.

*Quaratione tollatur irregularitas.*

**Q**UATVOR modis tolli potest irregularitas, nimirum susceptione Baptismi, professione religiosa, ablatione seu remotione causæ, & dispensatione legitima.

Per Baptismum tollitur quævis irregularitas ex delicto proveniens, vel (ut magis propriè loquamur) per Baptismum fit, ut Baptizatus nullam incurrat irregularitatem ratione delictorum, quæ ante Baptismum commisit: non tollit vero irregularitatem, quæ oritur ex defectu, si post Baptismum idem defectus remaneat.

Per professionem religiosam tollitur solummodo irregularitas ex defectu natalium proveniens quoad ordines, non verò quoad prælaturas, ut habetur cap. 1. de filiis presbyterorum.

Aufertur etiam irregularitas ex defectu proveniens sublata causa, ob quam fuerat induceta; v. g. tollitur irregularitas ex defectu ætatis proveniens per adventum legitime ætatis, & sic de aliis; ut docet Bonacina quæstion. 5, pu. 2.

Demum



Demum tollitur irregularitas per dispensationem legitimam: atque in primis summus Pontifex pro suprema authoritate, quam in universam Ecclesiam obtinet, dispensare potest in quavis irregularitate, quæ in iure humano introducta est, ut ex communi Doctorum consensu docet Bonac. pu. s. & constat ex iis, quæ dicta sunt sup. cap. de Legibus.

Episcopus etiam dispensare potest cum suis subditis in irregularitatibus provenientius ex delicto occulto, id est ex delicto quod non est publicum seu notorium in ratione delicti; e. g. si quis majori excommunicatione occulte ligatus publice celebret, & sic contrahat irregularitatem, poterit Episcopus in illa dispensare; quia, licet celebratio sit publica, delictum tamen non est publicum, ut explicat Bonac. sup.

Excipitur tamen irregularitas ex homicidio voluntario proveniens, & ex quocunque delicto deducto ad forum contentiosum, in qua solus summus Pontifex dispensat; sicut & in quavis alia irregularitate, quæ ex defectu aliquo provenit, ut ex communi Theologorum consensu docet Bonac. sup. q. z. pu. s.

Potest nihilominus Episcopus dispensare cum illegitimo ad Tonsuram & minores Ordines, sicut & ad beneficium simplex; ad Ordines verò sacros, & alia beneficia quæ ordinem sacrum requirunt, dispensare non potest, ut habetur cap. de filiis presbyterorum in 6.

Atque hætenus de censuris Ecclesiæ ad maiorem  
Dei Gloriam & ipsius Ecclesiæ  
utilitatem.



APPEN: